

tere contra voluntatem dici præceptuam, & hoc plus omnibus cauere, hoc est diligere Deum toto corde. Diligere Deum toto corde, est voluntatem elicere actum volendi Deo omne bonum, & omnem perfectionem, & hoc plus velle, quam quodcumq; aliud. Et potius quodcumque aliud velle non esse, quam velle Deum non esse, vel aliquod bonum, seu perfectionem Deo non inesse. Diligere Deum tota mente, est voluntatem præcipere intellectui nihil cogitare, studere, imaginari, contemplari, contra præceptum Dei, & omnia credere, inquirere, discere, quæ Deus præcepit, iuxta illud Ecclesiastici 3. Quæ præcepit tibi Deus, cogita semper &c. Diligere Deum tota anima idest omnibus sensibus, est voluntatem imperare singulis sensibus, in nullum obiectum tendere contra voluntatem Dei præceptuam, nec aliquem suum actum omittere contra &c. Suo modo diligere totis viribus, est omnes vires redigere, & regere sub obedientia mandatorum, & omnes virtutes motiuis corporis. Sic ergo secundum Augustinum 1. de doct. Deum toto corde, tota anima &c. diligimus, dum quicquid aliud diligendum in animum venerit, illuc rapitur, quo totius dilectionis impetus currit. Rapiatur inquam, secundum exigentiam diuinorum præceptorum. Hæc ad præsens de secundo sufficient.

Diligendus autem est & proximus, sicut nos ipsi ad eandem beatitudinem, ad quam nos ipsos.

Quis sit
proximus
noster.

Sed queris cum legis perito, Quis est proximus? omnis, cui misericordiam. i. bonum aliquid impendere possumus. Ergo omnis creatura beatitudinis nobiscum particeps proximus dicitur angelus, viator, comprehensor, aut qui purgatur. Viator omnis fidelis, & infidelis, quibus omnibus optare debemus salutem, & cooperari, quantum valemus &c. Hoc Christus hac parabola intendit, quam exponit ex postillis, quia pulchra est.

DOMINICA XIII
Sermo II. in ordine
LXXVI.

MULTI prophete, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt. Luc. 10.

Nulla visio beatorum, nullus auditus fructuosior in via, quam eorum, & quibus adipisci felicitas vera potest. Nam quemadmodum simpliciter beatus est in patria, qui summum bonum possidet, omnia eius fatians desideria. Ita beatus dicitur in via, qui ad hanc asequendam in patria rectam tenet viam, & nullo retardatur impedimento, quominus hinc exiens eam continuo consequatur.

Verè beatus in patria habet quæ quid vult ita & in via beatus nullo impedimento ligatur.

Hinc veteris testamenti patres, prophete, & reges, David, Iosias, Ezechias etiam rectam viam tenuerunt ambulantes recto corde coram domino, in omnibus mandatis, impedimentis tamen non caruerunt, propter quæ soluto mortis debito, hanc statim non poterant adipisci, adhuc decreti chirographum cruci non erat affixum, adhuc romphæa ignea introitum occupauerat paradisi, adhuc regni cælorum clausus hominibus tradita non fuerat, sed hæc dominus in carne veniens, Petro, ac ceteris apostolis cum suis successoribus tradidit. Ioan. vigesimo. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. romphæam igneam de ianuâ paradisi crucis victoriâ amouit, atque ingressum regni patefecit, hinc in cruce triumphans, ait latroni, Hodie mecum eris in paradiso Luc. vigesimotertio.

Chirographum quoque decreti contra humanum genus per peccatum patrum parentum descriptum, & cruci affixit, & sanguine suo deleuit, sicut ad Co. 2. deducit apostolus. Idcirco patres prophete, & reges hæc audire, hæc videre, instantissimis desideris voluerunt, quæ